# APPENDIX

CODICUM CELEBERRIMORUM

SINAITICI VATICANI ALEXANDRINI.

ΕΙΝΑΙ ΚΑΙ ΕΡΜΗΝΕ
ΚΕΝΑΙ ΛΥΣΙΜΑΧΟΝ
ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ· ΤΩ
ΕΝ ΙΕΡΟΥΣΑΛΗΜ·

ΕΣΘΗΡ

αντεβληθη προς παλαιω
τατον λιαν αντιγραφον
δεδιορθωμενον χειρι
του αγιου μαρτυρος παμ
φιλου· προς δε τω τελει
του αυτου παλαιωτατου
βιβλιου οπερ αρχην μεν
ειχεν απο της πρωτης
των βασιλειων· εις δε
την εσθηρ εληγεν τοι
αυτη τις εν πλατει ιδιο
χειρος υποσημιωσις του
αυτου μαρτυρος υπεκειτο
εχουσα ουτως :

μετελημφθη και διορ
θωθη προς τα εξαπλα
ωριγενους υπ αυτου δι
ορθωμενα· αντωνινος
ομολογητης αντεβαλεν·
παμφιλος διορθωσατο
τευχος εν τη φυλακη·
δια την του θυ πολλην
και χαριν και πλατυσμον·
και ει γε μη βαρυ ειπει
τουτω τω αντιγραφω
παραπλησιον ευρειν
αντιγραφον ου ραδιον >~
>>> — >>> — >>> —

ΑΥΤΟΣ ΕΝΙΑΥΤΩΣ ΕΝΝΕΑ
ΚΑΙΔΕΚΑΤΟΣ ΤΟΥ ΝΑΒΟΥΧΟ
ΔΟΝΟΣΟΡ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΒΥΛΩΝΟΣ
ΗΛΘΕΝ

ΤΗΣ ΜΕΓΑΛΗ
ΣΟΥ ΚΑΙ ΕΝ ΤΗ ΧΕΙ
ΡΙ ΣΟΥ ΤΗ ΚΡΑΤΑΙΑ
Μ Η ΔΗ ΚΕ ΜΗ ΑΠΟΣΤΡΕΨΗΣ ΤΟ ΠΡΟ
ΣΩΠΟΝ
ΣΟΥ

ΙϚ ΔΑΛΑΙΣΑ ΙϚ ΓΟΛΙΑΣ ΙϚ
ΓΑΜΑΡΙΑΣ ΥΠΕ

ΡΩΜΕΙ
ΠΡΗΣΘ
ΚΟΙΛΙΑ
ΠΕΣΕΙΤ
ΑΥΤΗΣ Κ
ΑΡΑΝ ΤΩ (EN)
ΕΑΝ ΔΕ Μ Η
ΘΗ Η ΓΥΝ ΗΚΑ
ΡΑ Η ΚΑΙ ΑΘΑ
ΑΘΩΟΣ ΕΣΤΑΙ Κ
ΣΠΕΡΜΑΤΙ ΕΙΣ ΠΕ
ΟΥΤΟΣ Ο ΝΟΜΟΣ
ΤΗΣ ΖΗΛΟΤΥΠΙΑΣ·
Ω ΠΑΡΑΒ Η ΓΥΝΗ (AN)
ΥΠ ΑΝΔΡ
ΜΙΑΝΘΗ ΝΘΡΩ
ΠΟΣ ΩΑΝ ΕΠ
(ΑΥΤΩ) ΘΗ ΕΠ ΑΥΤΟΝ
ΖΗΛΩΣΕΩΣ ΚΑΙ
ΖΗΛΩΣΗ ΤΗΝ ΓΥ
ΝΑΙΚΑ ΑΥΤΟΥ ΕΝΑ

ΜΙΣΘΟΣ ΟΥ ΛΟΓΙΖΕΤΑΙ
ΚΑΤΑ ΧΑΡΙΝ ΑΛΛΑ ΚΑΤΑ
ΟΦΕΙΛΗΜΑ ΤΩ ΔΕ ΜΗ

ΚΑΛΥΜΜΑ ΕΠΙ ΤΗΝ ΚΑΡ
ΔΙΑΝ ΑΥΤΩΝ ΚΕΙΤΑΙ ΗΝΙ
ΚΑ ΔΑΝ ΕΠΙΣΤΡΕΨΗ ΠΡΟΣ
ΚΝ ΠΕΡΙΑΙΡΕΙΤΑΙ ΤΟ ΚΑ

ΡΩΜΑΙΟΥΣ

ΙΥ ΔΙΑ ΘΕΛΗΜΑΤΟΣ ΘΥ
ΤΟΙΣ ΑΓΙΟΙΣ ΤΟΙΣ ΟΥΣΙΝ ΕΝ ΕΦΕΣΩ

ΔΕ ΚΑΙ ΑΛΛΑ ΠΟΛΛΑ Α ΕΠΟΙ
ΗΣΕΝ Ο ΙΣ ΑΤΙΝΑ ΕΑΝ ΓΡΑ
ΦΗΤΑΙ ΚΑΘ ΕΝ ΟΥΔ ΑΥΤ
ΟΙΜΑΙ ΤΟΝ ΚΟΣΜΟΝ ΧΩ
ΡΗΣΕΙΝ ΤΑ ΓΡΑΦΟΜΕΝΑ
ΒΙΒΛΙΑ : —


ΚΑΤΑ
ΙΩΑΝΗΝ

Al a ΔΙΟ ΥΠΑΚΟΥΣΩΜΕΝ ΤΗ ΜΕΓΑΛΟΠΡΕΠΕΙ
ΚΑΙ ΕΝΔΟΞΩ ΒΟΥΛΗΣΕΙ ΑΥΤΟΥ· ΚΑΙ ΙΚΕ
ΤΑΙ ΓΕΝΟΜΕΝΟΙ ΤΟΥ ΕΛΑΙΟΥΣ· ΚΑΙ ΤΗΣ
ΧΡΗΣΤΟΤΗΤΟΣ ΑΥΤΟΥ ΠΡΟΣΠΕΣΩΜΕΝ·
ΚΑΙ ΕΠΙΣΤΡΕΨΩΜΕΝ ΕΠΙ ΤΟΥΣ ΟΙΚΤΕΙΡ

Al b ΔΙΔΑΞΑΣ ΟΛΟΝ ΤΟΝ ΚΟΣΜΟΝ· ΚΑΙ ΕΠΙ
ΤΟ ΤΕΡΜΑ ΤΗΣ ΔΥΣΕΩΣ

Al c ΦΑΝΟΥ ΓΕΝΩΜΕΘΑ·
ΕΙΔΕΝ ΑΙ ΗΜΑΣ ΔΕΙ ΟΤΙ Ο ΤΟΝ ΦΘΑΡ

Al d ΩΣ ΜΑ ΣΜΙ ΡΑ — ΤΑΥ ΟΗ ΝΕ — Ο ΜΕ ΑΓ ΛΑ — ΠΡΟ ΤΟ ΚΑ



Sin a — Sin b — Vat — Vat

# APPENDIX

## CODICUM CELEBERRIMORUM

# SINAITICI VATICANI ALEXANDRINI.

CUM IMITATIONE IPSORUM ANTIQUA MANU SCRIPTORUM

NUNC PRIMUM

EDIDIT

AENOTH. FRID. CONSTANTIN. TISCHENDORF,

THEOL. ET PHILOS. DR. PALAEOGR. BIBLIC. ITEMQUE THEOL. IN UNIV. LIPSIENS. PROF. P. O. LEGUM DR. HONORAR. CANTABRIG. ET IURIS CIVIL. DR. HONORAR. OXONIENS. REGI SAXON. A CONSILIIS AULIC. INTIMIS ORDINUM IMPP. RUSS. S. STANISL. SUPREMIS INSIGNIBUS ET S. ANNAE CLASSE II. CUM CORONA IMP. DECORATUS ORDD. REGII SAXON. ALBERT. IMP. AUSTR. FRANC. IOS. ET MAGNID. BADENS. LEON. ZARING. PRAEFECTUS ORDD. REGIOR. BORUSS. CORON. CLASS. II. ET AQUIL. RUBR. CL. III. EQUES REGII GRAEC. SALV. CENTURIO IMP. FRANC. LEGION. HONOR. REG. BAVAR. S. MICH. CL. I. REG. SUEC. DE STELL. POLAR. REG. ITALIC. SS. MAUR. ET LAZAR. MAGNID. VIMAR. FALC. ALB. CL. I. DUC. PARM. S. LUDOV. EQUES REGIAE SOCIETATIS LITERAR. LONDIN. BIBLIOTHECAE CAESAR. PUBL. PETROPOLIT. ET INSTITUTI AEGYPT. SOC. HONORAR. REGIAE SOCIETATIS SCIENTIAR. UPSAL. SOC. EXTER. SOCIETATUM HAGAN. PRO VINDIC. RELIG. CHRIST. ET ORIENTAL. AMERICAN. SOC. AB EPIST. HISTOR. THEOL. LIPS. ET ORIENT. GERM. SOC. ORD.

LIPSIAE

GIESECKE ET DEVRIENT.

MDCCCLXVII.


NE·TIMEAS·RECTE·FACIENDO
Peter Redpath.

ΤΩ ΠΑΝΙΕΡΩΤΑΤΩ ΣΙΝΑΙΟΥ ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΩ

# ΚΥΡΙΛΛΩ

ΤΩ ΕΥΓΕΝΕΙ ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΟΨΥΧΩ

ΕΣΘΛΗΝ ΤΩΝ ΓΡΑΜΜΑΤΩΝ ΕΧΟΝΤΙ ΠΡΟΝΟΙΑΝ

ΚΑΙ ΠΑΣΗ ΤΗ ΣΕΒΑΣΜΙΑ ΑΔΕΛΦΟΤΗΤΙ

ΤΩΝ ΠΑΤΕΡΩΝ

# ΣΙΝΑΪΤΩΝ

ΔΕΙΓΜΑ ΕΥΓΝΩΜΟΣΥΝΗΣ ΑΔΙΑΛΕΙΠΤΟΥ ΚΑΙ

ΣΠΟΥΔΗΣ ΕΙΛΙΚΡΙΝΟΥΣ

ΑΝΑΤΙΘΗΣΙΝ

ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΣ Ο ΤΙΣΧΕΝΔΟΡΦΟΥ.

# PROLEGOMENA.

Quae hoc volumine comprehendimus, ex tribus Bibliorum codicibus antiquissimis desumpta sunt. Sunt enim Sinaitici codicis fragmenta duo, Vaticani paginae selectae viginti, Alexandrini folia extrema undecim. Et Sinaitica quidem nunc primum eduntur. Vaticana nunc primum accurate et ad similitudinem ipsius codicis exscripta sunt, atque ita sunt comparata ut, quod nondum factum est, rationes eius libri palaeographicas ante oculos ponant. Quae denique ex nobilissimo Musei Britannici thesauro hausimus, supplent editiones codicis Alexandrini a Woidio et Babero pridem institutas, ac nunc demum epistulas Clementis Romani ita exhibent ut dudum flagitabant quum harum litterarum gravitas, tum misera foliorum conditio, quibus solis tam venerabile antiquitatis Christianae monumentum ad haec tempora pervenit. Multa enim de textu prioris potissimum epistulae recte iudicari constituive nequeunt nisi quae marginibus laesis vel exscissis perierint accurate doceatur.

Iam vero dicendum de singulis.

Sinaitica fragmenta a Porfirio Uspenskio nunc episcopo in monasterio S. Catharinae in perscrutandis librorum scriptorum tegumentis inventa mihique, qua est erga me benevolentia, anno 1862 absoluta iam thesauri Sinaitici editione Petropoli ad utendum tradita sunt. Sunt autem segmenta tria, quorum duo altera unius eiusdemque folii exteriora latera olim effecisse facile cognovimus, quemadmodum in editione ante oculos positum est. Quod segmentorum par ex libri Numerorum capitibus quinto sexto septimo decerptum est; iis vero marginibus qui in ipsas tegumenti compages inciderunt scriptura squalore paene tecta et exstincta est. Tertium ex maiore totius folii, quod Genesis capita 23 et 24 continebat, constat parte. Huius fragmenti membrana madore varie contracta, scriptura maximopere vitiata lectuque passim perdifficilis est.

Probant haec duo sive tria fragmenta Sinaitica, quibus adiungendum est quartum, volumine altero novae Monumentorum sacrorum collectionis anno 1857 a nobis editum (vide post in commentario) non modo codicem pretiosissimum ex multis saeculis in possessione monasterii S. Catharinae fuisse, sed etiam dudum iam magna ex parte destructum atque discerptum esse. Quam in contemptionem ex quo tempore venerit, etsi certo definiri nequeat, tamen dubium non est quin quae nunc feliciter ex obsoletis librorum scriptorum tegumentis protracta sunt, pluribus saeculis abhinc ad glutinatoris usum transierint. Placuit autem in codice destruendo vel, quod illiteratis olim monachis magis videbatur, ad novos usus convertendo ita progredi, ut ab exterioribus libri foliis, ab initio et ad finem positis, operis calamitosi initium fieret. Hinc perierunt, exceptis paucissimis fragmentis nostris, omnes Pentateuchi libri cum iis qui proxime sequebantur, item ea quibus Novum Testamentum exibat i. e. quae post Barnabae epistulam et primum Pastoris quaternionem scripta erant. Nec tamen hac in re tanta religio adhibita est ut nihil aliter fieret, quemadmodum ex mediis prophetarum libris haud exigua membranarum pars, quae et ipsa foliis vel quaternionibus continuis constabat, evulsa est.

Ceterum fragmenta Pentateuchi nostra non ad eundem scriptorem pertinent: quam in rem conferri velim quae de variis codicis Sinaitici scripturis et scriptoribus explicuimus in Biblior. cod. Sinait. (1862) vol. I. Prolegg. pag. 8 sq., in Nov. Test. Sinait. (1863) Prolegg. pag. XXI sq., in Nov. Test. ex Sinait. cod. (1865) Prolegg. pag. XXX. Libri enim Numerorum fragmenta scripsit prophetarum scriptor, is quem B diximus; Genesin vero totius fere Novi Testamenti scriptor qui nobis A dictus est. Quae inter utrumque differunt, in ipso textu

quemadmodum edidimus cerni licet. B enim ab A eo discedit quod formas ⅃ ⅃ adamat; item, quibus rebus cum D convenit, quod passim exeuntibus versibus signum ͽ ponit et formam ꟺ celebrat.

In tabula huic libro addita non repraesentavimus nisi Numerorum scripturam. Usi autem sumus hac occasione ut subscriptionem libri Estherae iam in codice quem Friderici Augusti nomine diximus editam denuo exhiberemus. Licet enim illud opus cum universo textu haud male lapidi incisam praebeat, tamen operae pretium esse visum est scripturam maxima illam quidem ex parte satis evanidam quam accuratissime reddere. Quod eum in finem fecimus ut prorsus appareat quantopere illa nota a scriptura ipsius codicis differat. Hanc ut medio saeculo quarto tribuendam esse iam olim confidenter diximus, ita notam de qua quaeritur non ante septimum saeculum additam esse ipsa scriptura docet. Quam ne forte praeter morem illo quo vivebat tempore notae auctor adhibuisse putetur, ea vetant quae per totos Esdrae et Estherae libros textui antiquissimo post inlata sunt. Illa enim et ipsa, quamvis duo auctores habeant, eodem scripturae uncialis genere utuntur.[1] Subscriptio vero, qua indicatur unde notae quae praecedunt fluxerint, suum rursus auctorem habet ipsasque notas sive utriusque sive alterius certe correctoris excepit demum. Septimo autem saeculo si vixit is qui exemplar nonnullorum Veteris Testamenti librorum a Pamphilo captivo recognitum παλαιοτατον sive ut ipse scripsit παλαιωτατον dixit, minime inde concludendum est ipsum codicem Sinaiticum non recte medio saeculo quarto scriptum a nobis dici, quum Pamphilus eodem saeculo ineunte martyrio defunctus sit. Illo enim tempore, saeculo septimo, etiamsi ad initium eius notas cum subscriptione referamus, codex Sinaiticus, qui etiamnum, i. e. duodecim a septimo saeculis elapsis — ut iam alibi scripsimus — maximam partem pulcherrimus est, iis certe paginis quae in firmiores membranarum partes incidunt, haud dubie satis novus videbatur. Pamphili vero exemplar ab ipsius martyris manu certissimum venerandae vetustatis indicium habebat. Neque tum quum recognoscebat Pamphilus liber ipse scriptus videtur; quum enim ad Hexapla Origenis ab Antonino confessore et a semetipso conlatum et recognitum Pamphilus dixerit,[2] nondum ante hos labores studia Origenis expertus esse videtur. Quum autem tertio saeculo sive ineunte sive medio sive exeunte scriberetur, pro usu temporum illorum pariter atque exemplar unde Sinaiticus liber exscriptus est[3], papyro potius quam membrana constabat, unde antiquitatis species aliquot saeculis post, papyro dudum desuefacto, mirum in modum augeri debebat. Quae etsi per coniecturam dicuntur, planum tamen est, subscriptionem illam tum demum cum sententia nostra pugnaturam fuisse si ab ipso codicis auctore vel eadem certe cum illo aetate addita esset. Hac in opinione revera A. Kuenen Theologiae Professor Leidensis erat, qui primus subscriptione illa ad nos refutandos usus est.[4] Quae enim de primo correctore, quem διορθωτὴν Graeci vocant, in Prolegg. cod. Frid. August. § 4 scripseram: „sunt in aliquot foliorum marginibus notae eadem prorsus cum ipso textu scripturae elegantia, quas eodem atque textum tempore exaratas esse probabile fit." „Antiquissimae illae notae[5] et si quae alia eiusdem manus sunt" etc., ea ad subscriptiones librorum Esdrae et Estherae spectare opinatus ille est,

[1] Expressimus etiam hanc utramque in tabula nostra, alteram $c^a$, alteram $c^b$ dicentes.

[2] Quae scripta sunt, μετελημφθη και διορθωθη προσ τα εξαπλα ωριγενουσ, mea quidem sententia ita accipi nequeunt ut significent, ex Hexaplis exemplum illud ipsum descriptum esse. Ut enim διορθωθη et παμφιλοσ διορθωσα, ita μετελημφθη et αντωνινοσ αντεβαλεν sibi invicem respondent. Aliud est quod in vetere prophetarum codice Vaticano legitur, μετεληφθη απο αντιγραφου, item μετεληφθη εκ των εξαπλων. Haec enim cum μετεγραφη απο conveniunt. At quis non videt quantum ab illa dictione differat μετεληιμφθη και διορθωθη προσ τα εξαπλα? Cf. Nov. Test. ex Sinait. cod. pag. LXII sq. Tota enim nota haec est:

αντεβληθη προσ παλαιω
τατον λιαν αντιγραφον
δεδιορθωμενον χειρι
του αγιου μαρτυροσ παμ
φιλου· προσ δε το(²ω)τελει
του αυτου παλαιωτατου
βιβλιου οπερ αρχην μεν
ειχεν απο τησ πρωτησ
των βασιλειων· εισ δε
την εσθηρ εληγεν. τοι
αυτη τισ εν πλατει ιδιω(²ο)
χειροσ ϋποσημι(²ει)ωσισ του
αυτου μαρτυροσ ϋπεκειτο
εχουσα ουτωσ:
μετελημφθη και διορ
θωθη προσ τα εξαπλα
ωριγενουσ ϋπ αυτου δι
ορθωμενα· αντωνινοσ
ομολογητησ αντεβαλε̄·
παμφιλοσ διορθωσα το
τευχοσ εν τη φυλακη·
δια την του θ̄υ πολλη̄
και χαριν και πλατυσμο̄.
και ειγε μη βαρυ ειπεῑ
τουτω τω αντιγραφω
παραπλησιω(²ο)ν ευρειν
αντιγραφον ου ραδιον: —
— —
διεφωνη δε το αυτο
παλαιωτατον βιβλιο̄
προσ τοδε το τευχοσ
εισ τα(²τινα) κυρια ονοματα
— —

[3] Vide Nov. Test. ex Sinait. cod. pag. LVII sq.

[4] Vide Algemeene Konst- en Letterbode, Leiden, 1861. Nr. 6.

[5] His verbis mirum in modum apposuit Kuenen: „de bedoelde subscriptiones". Nimirum non intellexerat in iis quae proxime praecedunt et Origenis et Pamphili exemplo usum tantum antiquissimae διορθώσεωσ comprobari, et eius quidem quae cum ipsa codicum scriptura coniungi solebat.

quarum scripturam ab elegantia primae scripturae immensum quantum discedere, ex tabula nostra cuivis apparebit. Errore vero patefacto, quo quidem nihil evidentius esse potest, iisdem subscriptionibus[1] ad mentes perturbandas abuti inane prorsus ac frustra nec nisi iis dignum est, quos ipsorum inscitia non pudet sed delectat.

Praeterea in eadem tabula exempla duo eius scripturae addidimus, qua utebatur qui nono ut videtur saeculo in mollioribus membranarum partibus multarum paginarum scripturam, ductibus evanidis novum atramentum inducens, instauravit. Eiusmodi paginas per Esaiae et Hieremiae libros frequentissimas codex Frid. August. exhibet folio 20 recto, 22 recto, 27 verso, 31 verso, 32 recto, 35 verso unde alterum exemplum nostrum exscriptum est. Alterum ex fol. 42 rect. sumpsimus.

Altero loco de iis dicendum est quae ex Vaticano codice hoc volumen praebet.

Quum in nupero itinere Romano a Pio Nono petissem ut mihi liceret editionem codicis Vaticani sumptibus meis instituere similem, Petropolitanae Sinaiticorum Bibliorum editioni, Pontifex Maximus, quo est litterarum optimarum amore, eiusmodi opus suis auspiciis Romae institutum iri professus, certe hoc concessit ut thesaurum Vaticanum tantum excuterem quantum studia mea circa textum sacrum sibi poscerent. Quod dum summo studio faciebam, una hoc faciendum existimavi — id quod Iac. Antonellus, quum Papae iussa mihi declarabat, minime vetuerat — ut plures paginas integras accurate transscriberem, quibus in modum Sinaitici libri edendis quae Vaticanarum membranarum ratio esset, optime doceri posset. Delegi autem ex toto codice, Novo potissimum Testamento, paginas eiusmodi quae ad docendum id quod volebam imprimis idoneae essent. Unde factum est ut ex evangeliis novem proferrem paginas, ex actibus apostolorum et epistulis catholicis sex, quattuor ex Pauli epistulis, unam denique ex Veteris Testamenti libris per versus scriptis. Quibus ne item unam atque alteram adderemus, iis quas diximus transscriptis subito impediti sumus. Non deerat enim ardenti labori meo suspiciosus speculator, Borussus natione, societati Iesu addictus: is editionem ab ipso Papa parandam meo labore praesumptum eaque re gloriae summe venerandi principis a me obtrectatum iri deferebat. Quod ut invidiosum prorsus atque iniustum erat, ita eorum quae feliciter iam absoluta erant pretium augebat. Vehementer enim gaudeo quod prolatis his scripturae exemplis tandem paullo accuratius palaeographica Vaticani codicis ratio cognosci adeoque cerni potest, atque disci etiam quae inter hunc et Sinaiticum necessitudo intercedat. Nimirum eiusmodi nihil ex Angeli Maii editionibus hauriri licebat. Proptereaque viris doctis illud deberi videbatur, ut studiis illis Romanis arrepta quam primum in lucem ederemus. Suscepimus igitur, simul atque in patriam redissemus, una cum Novo Testamento nostro Vaticano etiam hoc opus, speciosum quasi alterius supplementum.

Quo autem iure ad Vaticanam scripturam repraesentandam iisdem formis usi simus quas ad exprimendam Sinaiticam anno 1860 paravimus, facile dictu est. Eam enim inter utrumque codicem necessitudinem esse intelleximus, ut vix dubium sit quin unus ex quattuor Sinaitici scriptoribus Vaticanum quoque Novum Testamentum scripserit. Hinc in hac certe Vaticani libri parte nulla litterarum forma invenitur quam non cum Sinaitico communem habeat: id quod in tanta singulorum ductuum varietate satis grave est. Qua de re statim accuratius videbimus. Differt quidem aliquantum magnitudo litterarum, quum maiores Sinaitici esse soleant, minores Vaticani. At haec differentia non coniunctum habet ipsarum formarum discrimen. Passim etiam in ipso Vaticano, in nonnullis Veteris Testamenti partibus, litterarum magnitudo scripturae Novi Testamenti antecedit propiusque accedit ad Sinaiticam. Ut enim quattuor in scribendo Sinaitico librarii operam posuerunt, ita in Vaticano diversas manus distinximus tres, magna illas quidem scripturae similitudine.

Quantopere autem universa ratione Sinaiticus et Vaticanus conveniant, ex paginis quas exscripsimus viginti primo obtutu cuivis clarum erit. Licet enim paullo minore forma sint Vaticanae Sinaiticis membranae, qua cum re cohaeret quod Sinaiticae quaternis quas

[1] Altera enim similis sed multo brevior ad finem libri Esdrae β hunc in modum apposita est:

αντεβληθη προσ παλαιω
τατον λιαν αντιγραφον
δεδιορθωμενον χειρι του
αγιου μαρτυροσ παμφιλου
οπερ αντιγραφον προσ τω
τελει ϋποσημειωσισ τισ
ϊδιοχειροσ αυτου ϋπεκειτο
εχουσα ουτωσ:
μετεληφθη και διορθωθη
προσ τα εξαπλα ωριγενουσ
αντωνινοσ αντεβαλεν·
παμφιλοσ διορθωσα: —

vocant columnis iisque versuum 48, Vaticanae trinis iisque 42 versuum utuntur, tamen uterque pari modo ad similitudinem voluminum papyraceorum accedit, quorum conservata quaedam imitatio videtur quum ipsa desuefieri coepissent. Plura autem singillatim atque imprimis consideranda sunt. Primo loco ponendum est quod pariter uterque initialium quas vocant litterarum usu abstinet. Inscriptionibus et subscriptionibus singulorum librorum magis inter se consentiunt quam cum codice Ephraemi Syri rescripto vel Alexandrino vel alio ullo. Simillima in utroque ratione utuntur paginarum tituli, non modo quod alternis paginis modo κατα modo μαθθαιον scribitur, modo προσ modo ρωμαιουσ, et quae id genus alia sunt, sed etiam eandem maiorum minorumque formarum varietatem habent, ut scribi solet ΠΡ^ος, Λ^οΥΚΑΝ, ΠΡΑξ^εις, atque iisdem lineolis solent circumdari. Item similiter continua versuum scriptura interrumpitur in genealogiis Matthaei et Lucae (vide pagg. 9 et 15), in μακαρισμοισ quos vocant apud Matthaeum (vide pag. 11), in salutationibus epistulae ad Romanos (vide pag. 25). Aliis eiusmodi locis ubi uno tenore similia recensentur, ut Rom. 1, 29 sq. 1 Cor. 14, 26. 2 Cor. 11, 23 sqq. Col. 3, 16 sqq. singula vel separatim scribuntur, ut fit in Sinaitico 1 Cor. 14, 26, vel spatio punctoque seiunguntur, ut omnibus quattuor quos indicavimus locis in Vaticano fit, in Sinaitico Rom. 1, 29 sq. Communes etiam habent lineolas quae passim ad significandas textus sectiones continuis interponuntur versibus, ut in Vaticano Rom. 16, 5 sqq. (vide infra pag. 25), in Sinaitico Rom. 13, 12. 1 Cor. 12, 29 sq.[1]

Quae omnia quum nihil aliud probant nisi utrumque codicem eiusdem fere aetatis atque ab eadem scribendi schola repetendum videri, tum alia sunt quibus, ut iam supra significavimus, maxime probabile fit, unum ex Sinaitici libri scriptoribus etiam Novum Testamentum Vaticanum scripsisse. Eum videlicet dicimus, quem D nomine insignivimus, scriptorem librorum Tobith, Iudith, prioris partis quarti Maccabaeorum, aliquot Novi Testamenti foliorum, multarum inscriptionum et subscriptionum, plurimorum qui singulas paginas ornant titulorum, item multarum emendationum auctorem, quamvis quae ipse scripsit non sine calami lapsibus aut erroribus scripserit. Eundem Novum Testamentum Vaticanum scripsisse, his fere argumentis probatur.

Forma satis singularis ξ ξ pro Ξ ξ, alibi vix inventa, pariter in Sinaitico atque in Vaticano titulis paginarum (ut πραξεις) et numeris sectionum (ut ξΛ ξΒ) propria est; praeterea in iis textus Sinaitici partibus, quas idem D scripsit, semel vel bis inveni. Ut in Novo Testamento Vaticano duplex punctum exeunte libro poni solet, ita etiam in iis paucis Sinaitici codicis partibus fit iisque solis quas D scripsit.[2] Accedit quod eadem signa ⸖ ⸖— etc. ab utroque scriptore solent addi, atque etiam arabescos quod vocant simillimis formis uterque adpinxit: quae rursus similitudo in nullum reliquorum Sinaitici codicis scriptorum cadit.[3] Miro modo congruunt etiam signa ↑ et ↓, quibus deesse aliquid in textu idque in margine suppletum esse significatur. In Vaticano perrara est interpunctio, certe per plures Novi Testamenti partes, ut per evangelia. Iis locis ubi cum spatio coniunctum est punctum crebriora sunt spatia vacua puncto. Etiam hoc cum usu maxime convenit scriptor D Sinaitici codicis: qua re rursus, exceptis paucissimis, ab eorum usu discedit quos scribendi socios habebat.[4] Signum ⸖ ad finem versuum positum, quod ex papyris Herculanensibus aliisque similibus dudum innotuit, ab utroque frequentatur, quod D ille in codice Sinaitico non proprium quidem sed cum uno tantum sociorum commune habet. Etiam compendia scripturae id quod volumus confirmant. Quum enim inter Sinaiticum codicem et Vaticanum hoc intersit, quod ille compendia quaedam, ut ΥC ΑΝΟC ΟΥΝΟC creberrime adhibet ac solet adhibere, Vaticanus vero sat raro, tamen distinguenda a reliquis Sinaiticis foliis omnibus rursus ea sunt quae D

[1] In Sinaitico passim eiusmodi lineolae posterioribus curis inlatae propterea que in ipso textu a nobis non expressae sunt. Sunt autem ad antiquissimos tantum correctores referendae, quos notis A et B insignivimus. Pertinent huc eae quas editionis Petropolitanae tab. V. ex 5 et 6 cap. evang. Matth. conspiciendas praebet.

[2] Hoc punctum duplex in codice Sinaitico non invenitur nisi ad finem libri Tobith et evangelii secundum Marcum. Ad finem libri Iudith et epistulae prioris ad Thess. idem scriptor nihil punctorum adposuit, quod etiam in Vaticano passim factum est.

[3] Videndi sunt arabesci ad finem librorum Tobith et Iudith, evangelii sec. Marcum et epistulae 1. ad Thess. Priores duo, quum non iis voluminis II. locis ubi fieri debebat, foll. 8 et 15, expressi essent, in tabulam XIX. voluminis I. transtulimus.

[4] Exempli caussa cf. foll. 88 et 91 Novi Testamenti (1 Thess. 2, 14—5, 28. Hebr. 4, 16—8, 1), quorum columnae sedecim duo tantum locos puncto distinctos habent, plures solo spatio.

scripsit. Haec enim cum Vaticano egregie conveniunt. Ita folio 15 evangelii secundum Matthaeum a D scripto (24, 36—26, 6) υιοσ quinquies i. e. ubique, et ανθρωποσ septies plene scripta sunt, semel α̅ν̅ο̅υ̅. Iis vero foliis quibus connexum est, 14 quod praecedit et 16 quod sequitur (23, 9— 24, 34. 26, 7—72), duodecies ανθρωποσ et septies υιοσ scripta sunt compendio, nullo loco plenam tuente scripturam. Similis ratio est vocis ουρανοσ. Quae ut fol. 10, quod et ipsum scriptoris D est (16, 9—18, 12), novies legitur nunquam non plene scripta, ita eo quod sequitur folio (18, 12—19, 23) sexies compendio scripta est, ter plene. Praetereamus alia quae in eandem rem conferri possunt.

Quibus singulis expositis quaerendum erit num universa alterius scriptura tantam cum altera similitudinem prae se ferat ut nihil dubii relinquatur. At tantam si quis vult, pro rei natura nimium vult. Iam supra dictum est, cum magnitudinis discrimine, quod inter utramque intercedat, non coniunctam esse formarum discrepantiam: quod ipsum eo plus valet quod litterae in utroque magnitudine differunt. Sunt vero etiam plures litterae quibus scriptura D librarii Sinaitici aeque a sociis ipsius discedit atque cum Vaticano facit, ut Τ, quae inprimis valet, Μ, quam formam uterque exeunte versu ponere adamat, Χ Ψ Κ, aliae. Etiam spatii aliquanto plus singulis litteris cum Vaticano scriptore D Sinaiticus interponere consuevit. Spectant huc etiam quae infra pag. XVII. de miniatis arabescis notavimus.

Denique his argumentis ab ipsa quasi arte scribendi petitis accedit aliud idque, si quid video, gravissimum, quod in orthographicis positum est. Constat antiquissimos libros scriptos a recentiorum consuetudine eo recedere, quod ει cum ι, ι cum ει commutant. Qua in re Sinaiticus et Vaticanus satis inter se consentiunt, differunt tamen ita ut innumeris locis hic ει pro ι, ille ι pro ει praebeat. At mutatur res foliis illis sex quae D scripsit. Hunc enim prorsus cum Vaticano facere exemplis luculentissimis probabimus. In Vaticano πειλατοσ, ελεισαβετ, ηλειασ, γαλειλαια, αρειμαθαια paucis exceptis locis ubique scribitur, in Sinaitico non item. Is enim quem potissimum Novi Testamenti scriptorem diximus πιλατοσ locis 43 scripsit (bis πειλατοσ), ελισαβετ Luc. 1, 57 (semel enim tantummodo scripsit), ηλιασ locis 17 (ter ηλειασ), γαλιλαια plus quinquagies (nusquam γαλειλ.), item ubique αριμαθαια. Contra socius D sex foliis suis πειλατοσ decies sive ubique dedit, item ubique i. e. ter γαλειλαια, ελεισαβετ septies (semel ελισαβ.), ηλειασ octies (semel ηλιασ), αρειμαθαια Mc. 15, 43. Addi possunt μεικρων, οψειασ, alia. Accedit vero etiam ιωαννησ nomen, quo argumenti huius vis vehementer augetur. Quod quum per quattuor evangelia octogies fere inveniatur, is qui plerumque scribebat nusquam aliter ac ιωαννησ scripsit, D vero quoties (i. e. quater) idem nomen habet, toties, ut Vaticanus solet, ιωανησ habet. Neque aliter scripsit primis quinque apocalypsis versibus atque in eius libri inscriptione. Hunc vero scriptorem postquam principalis Novi Testamenti scriptor excepit, quinquies in textu et summa pagina solita scriptura ιωαννησ repetita est, primo tamen loco, i. e. 1, 9. ad eam quae modo quater praecessit et ipse suam accommodavit.

Quae quum ita sint, vix dubitari poterit quin is ex Sinaitici codicis scriptoribus, quem D diximus, etiam Vaticani scripserit Novum Testamentum, quam quidem solam eius codicis partem curiosius indagavimus. Quamvis autem idem scripserit, iis ipsis Novi Testamenti partibus, quas bis ab eo accepimus, non idem eum exemplum expressisse planissimum est. Propterea que sua et huic et illi manet auctoritas quum per sex illa sacri textus folia, tum per omnes Novi Testamenti libros.

Aetatem quidem quod attinet, ut difficile dictu est quanto alter alterum antecedat, ita certum est plus momentorum in Sinaitico quam in Vaticano inveniri unde aetas subtilius definiri queat. Sinaiticum nuper diximus ex numero quinquaginta illorum exemplorum esse potuisse, quae Eusebius episcopus post annum 331 ad Constantinum imperatorem misit. Eandem laudem quin cum Carolo Vercellone (vide dissertationem eius: Dell' antichissimo codice Vaticano della Biblia Greca etc. Rom. 1860) Vaticano tribuendam esse existimemus, res potissimum duae obstant. Alterum est quod is non quaternionibus, ut imperator praescripserat, sed quinionibus, ut explorare nobis contigit, confectus est; alterum quod non Ammonii Eusebiique numeros evangeliorum sectionibus appositos habet, quos in Eusebianis illis codicibus locum habuisse perquam probabile est.

Reliquum est ut de editione nostra explicemus, ac primum quidem de interpunctione. Quum passim difficile est antiquissimam manum ab iis quae post invecta sunt distinguere, tum imprimis ubi de interpunctione quaeritur. Ipse scriptor per alias libri partes parcissimus interpungendi erat, in aliis non item erat. Sed nec corrector constanter aut curiose hoc egit ut interpunctionem suppleret, unde factum est ut etiamnum sat spatia vacua ab ullo puncto sint. Multo tamen saepius corrector addidit punctum sive spatio ad id relicto sive non relicto. Maxime

autem difficultas ex duabus rebus oritur, tum quod corrector etiam puncta primae manus instauravit passim, tum quod passim prima manus videtur interpunxisse non maiore relicto spatio. Quibus locis punctum a correctore ita positum est ut prioris, quod clariorem colorem plerumque fuscum prae se fert, nullum vestigium supersit, iis dici nequit an ipse scriptor praeiverit interpunctionem. Sunt vero loci haud pauci ubi eiusmodi vestigium acriter intuenti apparet, sunt etiam ubi solum illud punctum adest quod ipse scriptor posuit. Ex his consequitur non ubique omnem de interpunctione antiquissima dubitationem tolli posse. Si quam ipsi edidimus, omnibus diligenter circumspectis edidimus.

Descripsimus omnes viginti paginas, ut iam dictum est, ex ipso codice; tamen nihil eorum quae descripta erant denuo ad illum conferre licuit. Litterarum exeunte versu plerumque minutarum,[1] spatiorum quae continuis verbis interponuntur, punctorum aliorumque signorum diligenter habita est ratio. Inter singulas vero litteras quid spatii interesset, quum inter describendum notari non potuisset, ex memoria plerumque et coniectura exprimendum erat. Arabescos ad finem plerorumque librorum diligenter imitati sumus, sed non eleganti manu artificis.

Quam ex vetere Testamento paginam elegimus, ex libris desumpsimus per versus scribi solitis. Quem versuum usum in scribendis septem libris illis iam apud antiquos obtinuisse, ut Gregorius Nazianzenus Amphilochius Epiphanius alii testantur, ita vix dubium est quin ipsi vel interpretes Graeci vel auctores praeiverint. Servarunt autem codices qui supersunt antiquissimi omnes, Sinaiticus, Vaticanus, Alexandrinus, Ephraemi Syri rescriptus, Petropolitanus,[2] alii. Quo facilius Vaticana cum Sinaiticis conferri possent, in commentario pag. XVIII. utrumque textum composuimus.[3]

Lapidi quae incidenda curavimus, non modo eam exhibent scripturam quam undecimo fere saeculo totus codex studiis instauratoris nactus est, sed etiam ipsius antiquissimi scriptoris manum a deformitate illa salvam. Quum ad ea tantum quae novo atramento non inducta sunt iudicari possit quam scripturam codex tantae vestutatis propriam habeat, iam anno 1843 quum primum Romae versabamur operam dedimus ut ex paucis quae post intacta mansissent nonnihil accurate delinearemus. Novi quicquam addere nunc non licuit. Primis tres versus ex cap. 4 epistulae ad Romanos desumpti sunt, quos qui excipiunt quattuor, ex alterius ad Corinthios epistulae capite tertio. Manserunt intacti quia prima manus bis eadem scripserat. Quod sequitur, ρωμαιουσ, ex titulis est, cuiusmodi passim instaurator praeteriit. Locum Rom. 4, 4 cum altero simili, Ioh. 13, 14, iam Leonardus Hug anno 1810 commentationi suae de antiquitate codicis Vaticani inseruit, sed ita ut imitatio ab ipsa codicis scriptura satis differret. Quae vero ab Angelo Maio et iam ante eum a Blanchino et a Silvestro (in „Paléographie universelle“) prolata sunt, ea nihil non instauratum i. e. undique deformatum continent, nec ea ipsa laudabili arte facta sunt.[4]

Adiunximus vero etiam ad repraesentandam scripturam ab instauratore deformatam duo versus ex principio epistulae ad Ephesios, ubi imprimis grave est εν εφεσω, quod ipse instaurator idemque corrector de suo addidit. Extremos evangelii secundum Iohannem versus non ipsi ex codice hausimus, sed ex dissertatione sumpsimus Caroli Vercellone Barnabitae, quam „Dell' antichissimo codice Vaticano della Bibbia Greca“ inscriptam Romae anno 1860 edidit.

Iam ad tertiam libri partem perventum est, qua ex Alexandrino codice Musei Britannici epistulam Clementis Romani utramque, quantum superest, edidimus.

Inter omnes constat hoc litterarum quae ipsis apostolicis proximae sunt monumentum solo codice Alexandrino posteritati ser-

[1] Etiam formae ϻ rationem habuimus; nihilominus accidit ut primae ipsius paginae col. 1. versu 2. ΑΒΡΑΑΜ pro ΑΒΡΑΑϻ ederetur.

[2] Ex libris est quos anno 1859 ex oriente Petropolin attuli. Fragmenta sunt Sapientiae Salomonis et Iesu Siracidae palimpsesta. Duo quibus continentur folia sexti videntur esse saeculi. Textus tribus columnis scriptus est.

[3] Per incuriam, quam aegerrime fero, invitis iis quae ipse descripsi, ab initio Sapientiae Salomonis typis exscriptum est φροντησατε pro φρονησατε.

[4] Quam procul a vero aberraverit Silvestre, tantus artifex, vix credibile est. Operam dedit ut scripturam a ductibus posterioribus liberam exhiberet, sed res ei pessime cessit. Quid quod tot litteras cum similibus imprudenter confudit, quemadmodum ΨΑΛϻΟΙ pro ΨΑΛϻΟΙ habet, ΕΚΛΕΙϹΕ̄ pro ΕΚΑΘΙϹΕ̄, ΕϹΛΗΜΑΑΥΤΥ pro ΘΕΛΗΜΑΑΥΤΟΥ, item ΜΕΛΕΤΗϹΕ pro ΜΕΛΕΤΗϹΕΙ. Nihilominus partem eorum quae Silvestre dederat Fr. H. Scrivener in Plain introduction to the Criticism of the New Test. 1861. tab. VIII. fideliter repetiit.

vatum esse. Quem quum anno 1628 Cyrillus Lucaris, patriarcha primum Alexandrinus post Constantinopolitanus, ad Carolum I. Angliae regem dono misisset, iam quinque annis post Patricius Iunius, tunc bibliothecae Regiae curator, quae extremis foliis undecim continebantur opera apostolici viri nomine insignita cum Christiano orbe communicavit. Qua in re diligentissime ille sibi versatus videbatur, syllabarum vocumque deperditarum, litterarum vetustate exesarum, spatiorum subtiliter ratione habita. Repetiit editionem suam anno 1637, nec deerant alii qui vestigiis eius insisterent. Prodierunt autem usque ad annum 1866 ubique terrarum editiones textus Graeci, ut varias interpretationes praetereamus, plus triginta. Ex his celebritatem quandam adsecutae sunt praeter editionem principem eae quas Henricus Wotton Cantabrigiae et Guilielmus Iacobson Oxonii publicaverunt. Ut enim Wottonus ipsum codicem sive, ut primi editoris verbis utar, laceras eius reliquias multo accuratius Iunio excussit atque 1718 plerumque ad litteram typis exscripsit, ita Iacobsonus plura quae dubia manserant sollerter indagavit et studiis ter repetitis (primum edidit 1838, quartum 1863) cum popularibus suis tum exteris bene consuluit. Quo autem maiorem per totum orbem Christianum doctum epistulis illis Clementis, ex quo primum prodierunt, honorem atque cultum habitum esse omnes scimus, eo magis mirum est nondum eiusmodi editionem paratam esse, qua singula quae in codice supersunt quam accuratissime repraesentarentur. Quid quod nec Carolo Godofr. Woide nec Henrico Herv. Baber, quum edebant ex Alexandrino codice cum artificiosa imitatione antiquae scripturae, hic Vetus, Novum ille Testamentum, curae erat ut epistulae Clementis eisdem typis describerentur, quamvis non manu tantum eadem scriptae, sed etiam antiquis dignae visae essent quae unum cum ipsis sacris litteris corpus efficerent.

Mihi quidem dudum propositum erat ut illorum supplerem studia, praesertim quum ex recentioribus editionibus didicissem quam ambigua passim codicis lectio esset. Qua mente quum ineunte anno 1865 Angliam repetissem, comperi aliquot annis ante Musei Britannici curatores ex sententia doctorum Oxoniensium et Cantabrigiensium reliquias Clementinas arte photographica exprimi paucisque exemplis edi iussisse. Quae res pro rei natura partim tantum bene cessit. Ut enim multorum locorum scriptura pro vetustate codicis non satis conservata est ut vitro photographico perspicue reddi potuerit, ita olim imprudenter infusa gallarum tinctura plures paginae tantopere maculatae sunt ut non tam litteras photographus quam maculas reddiderit. Unde factum est ut de undecim foliis illis paginae novem maculis nigris plus minus deformatae ex manibus photographi prodirent, quattuor vero paucis exceptis ad eruendam scripturam adhiberi vix possent. Hinc non erat cur a proposito desisterem; poterat tamen photographica illa editio, cuius de paucis exemplis aliquot supererant, multum mihi utilitatis afferre. Impetrata igitur a nobilissimis Musei Britannici curatoribus venia, ipsum codicem, quem plerique vel digito tangere vetantur, studiosissime pertractavi maximamque Clementinorum partem manu mea descripsi. Praeterea illi, quo singulari erga me favore sunt, photographicae editionis exemplum dono mihi dederunt, quo melius varias antiquae scripturae rationes imitari et spatia quae litterae deperditae occupasse viderentur indicare possem.

Iamvero perspectis cum aliorum studiis tum ipsius codicis difficultatibus non frustra ego laborem hunc in me suscepisse mihi videor. Nec enim pauca magnam legendi difficultatem habent sibique oculos exercitatissimos poscunt; rursus vitiositas ipsius antiquae scripturae praesumentem cogitatione id quod scribi debebat facile in errorem ducit. Unde videntur excusationem habere si qui legendo falsi sunt. Falsi autem passim sunt omnes ubi iam nihil dubii relictum est; alia quae prout sunt dubitationem habent, nunc demum probabili coniectura constitui poterunt. Ita, ut ex vitiis per duo haec saecula repetitis aliquid exemplorum afferamus, hucusque editum est prioris epistulae capite 49. ineunte: το μεγαλειον τησ καλλονησ αυτου τισ αρκει ωσ εδει ειπειν. In quibus quis non videt parum concinne scriptum esse τισ αρκει ωσ εδει ειπειν? Scilicet hanc lectionem finxit Iunius, nec veram substituerunt qui posterioribus curis toties eum correxerunt. In codice vero scriptum est: τισ αρκετοσ εξειπειν, quae verba nihil dubii habent, licet mediae litterae in membranam laceram incidant. Eodem capite ineunte omnes editiones habent τηρησατω, ipse vero codex ποιησατω. Rursus capite 50. ineunte male ex codice eruerant αν απαξιωση pro αν (ν supra scripto) καταξιωση, quo de loco vide commentarium. Similiter vitium inventum est ubi revera non est 1, 2 εκοσμημενοι. Omnino enim κεκοσμημενοι est. (Contra 1, 44 εδωκασιν legitur.) Etiam peius est quod 1, 51 λεγει γαρ πουν detectum est, quo loco punctum post που fefellit. Huc trahi etiam potest 1, 2 ubi αναμνησικακοι ex codice protulerunt varieque commentati sunt. At est αμαμνησικακοι, syllaba priore

inepte repetita. Constanter 1, 26 editum est απαντων et 1, 54 εν κω̅ pro παντων et, quod satis obscuro loco legitur, εν χω̅. 1, 15 nemo vidit κατηρουντο pro κατηρωντο scriptum esse, aut 1, 8 μετα ορκου pro μεθ ορκου, nec magis 2, 6, quod miror quum planissimum sit, τον κοσμον ολον pro τον ολον κοσμον. Item in ordine verborum errarunt qui 1, 20 εν ειρηνη και ομονοια ποιουνται ediderunt (adnotat Hilgenf. „cum codice et plerisq. edd.“); hoc enim loco εν ομονοια και ειρηνη legitur. Ad 1, 30 male refertur in codice esse αγιον notatis ου litteris super ιο. At scriptum est αγιουν, ut recte iam Iacobsonus indicavit. Additis igitur litteris ου manu haud dubie et ipsa antiqua manifesto αγιου συν scriptum est. Earum porro lectionum, ad quas in editionibus corrigendas accuratior spatii ratio valeat, exempla haec sunt: 1, 13 εαυτουσ προσ, cui lectioni εαυτουσ εισ praestat; 1, 24 ubi potius ανισταται η ημερα quam ανισταται ημερα restituendum est; 1, 33 ubi non τη εαυτου προσταξει a spatio commendationem habet, sed τη εαυτου συνταξει. His unum tantum locum addamus ubi intellectu difficile est quomodo potuerit errari. Locum dico 1, 53, ad quem apud Iacobsonum ex eoque apud plures editores haec leguntur: „αναβα[ντοσ]. Editores qui lineam sinistram τοῦ N censebant esse I, exhibent αναβαινοντοσ. At lacuna non nisi sex literas admittit; et tempus aoristi melius cum contextu congruit.“ Haec falsa sunt propterea quod αναβαι exeunte versu positum est absque ulla lacuna; lacuna vero ineunte versu proximo est. Quo tandem modo I exeunte versu eoque salvo nec obscuro pro priore parte litterae N haberi potest?

Mira vero est, ut supra iam significavimus, scripturae antiquae vitiositas, qua re Alexandrinus codex aemulum se Sinaitici et Vaticani praebet. Exempla quaerenti instar omnium esse poterunt ΘΙ (non ut alii retulerunt οι) ΜΗ pro ει μη, εψεται pro οψεται, οταρ pro οταν. Alia ex ingenti numero sunt τησ pro τασ, αλλασ pro αλλα, αδελφουσ pro αδελφου, λυχνον pro λυχνοσ, τροποσ pro τροπον, εξαιχνησ pro εξαιφνησ, κρυματα pro κυματα, μον pro μονον.[1] Unde clarum fit, Alexandrinum pariter ac nobile illud antiquissimorum codicum par, quod modo diximus, ab artifice scribendi eoque ut videtur Alexandrino Graecarum litterarum tantum non ignaro scriptum esse. Nihilominus ipse passim inter scribendum se correxisse videtur, quod emendationum et ratio et paucitas suadent, cf. infra ad 37, 2, 28 et alibi. Vix enim diorthotam hunc in modum officio suo functum esse crediderim. Ceterum cum scripturae vitiositate convenit interpunctio, quae saepissime ubi minime apta est invenitur, quemadmodum legitur αι αμαρτιαι· υμων, εξηλθεν· εκ τησ γησ αυτου, τη εαυτου· δυναμει. Imprimis versu exeunte punctum adponere scriptor adamat, nulla sensus ratione habita.

Quomodo inscripserit Clementis epistulas auctor codicis, non satis clarum est. Quod ut probabiliter definiri possit, quaerendum est quid de iis marginibus ubi titulorum locus erat perierit. Quod de prioris epistulae titulo superest, κορινθιουσ α̅, id accurate in editione eo ipso loco expressimus quem singulae litterae in codice habent, nisi quod paullo superius collocatae sunt. Hinc apparet quantum spatii ante κορινθιουσ sit. Minus recte puncta a nobis notata sunt. προσ enim quod praecessit non seiungendum erat a κορ litteris; videtur etiam litterae c pars infima proxime a κ adhuc cerni. Minime credibile est nil nisi προσ κορινθιουσ α̅ fuisse inscriptum. Spatii vero ratio omnino adiuvat κλημεντοσ προσ κορινθιουσ α̅ statuentem. Quod quo evidentius appareat spatium ante κορινθιουσ litteris κλημεντοσ προσ explendum est, neque tamen negligendum, id quod litterae superstites probant, paullo minoribus formis inscriptionem quam primum epistulae versum uti, quem pariter atque eum quo altera epistula inchoatur minio scriptum fuisse existimo. Alterius vero titulus una cum superiore margine totus abscissus est. Item abscissi sunt paginarum tituli, nisi quod passim litterarum deperditarum vestigia superesse videntur, quae quidem pagina 39 super columnam alteram vix dubia sunt. Non est quod addam, του αγιου κλημεντοσ etc. exhibentes sine dubio auctoritate codicis destitui.

Dudum ab editoribus indicatum est inter fol. 9 (pagg. 47 et 48) et 10 (pagg. 49. 50) desiderari folium. Quod quo iure primum a Iunio assertum esset quum quaerebat Iacobsonus, ita existimavit, Iunio „forte codicem conferre contigisse priusquam a bibliopego Anglico praescissus fuisset et in corio compactus.“ Haec mihi opinio perquam mira videtur. Quum enim omnium foliorum margines interiores abscissi sint, quid tandem sibi vult bibliopegi Anglici mentio? Certe hunc nemo suspicabitur eo temeritatis processisse ut folia tam misere detruncaret. Sin vero iam tum soluta erant singula folia, nihil ad hanc rem bibliopegi Londinensis opus pertinet. Sed aliud

[1] Quater accidit ut in textu nostro emendate typis exscriberentur quae vitiose codex habet: vide infra ad pagg. 31. 41. 43.

est quo haec res ad liquidum perducitur, quod omnes hucusque fugisse, et ipsum mirum est. Fuit enim, media ut puto aetate, qui singula folia numero notaret signis arabicis adhibitis. Horum signorum exteriore margine etiamnum plura cernuntur. Hinc fol. 6 (pagg. 41 et 42) numerum ١٣١ (131) habet, fol. 7 (pagg. 43 et 44) ١٣٢ (132), fol. 9 (pagg. 47 et 48) ١٣٤ (134), fol. vero 10 (pagg. 49 et 50) ١٣٦ (136). Quum igitur hi foliorum numeri ponebantur, pluribus certe abhinc saeculis, inter fol. 9 (pagg. 47. 48) et 10 (pag. 49. 50) folium numero 135 notatum erat; hoc unum periit; nec enim caussa est cur codicem tunc quum numeris arabicis signabatur ipso eo loco non integrum putemus fuisse.

Etiam ad hanc Alexandrini codicis scripturam repraesentandam, exceptis litteris quas dicunt initialibus, usi sumus typis Sinaiticis. Inter hos et illam quid differat, ad exempla scripturae lapidi incisa iudicari poterit. Minutae quidem formae passim paullo plus apud nos quam in codice ab eius scripturae differunt magnitudine quam plerumque scriptor adhibet. Nihilominus vix quicquam est quo impediatur coniectura de singulis lacunis faciunda. Ubique enim etiam spatiorum quae singulis litteris intercedunt diligenter a nobis ratio est habita; raro accidit ut mutua versuum ratio non satis reddi posset.

Satis etiamnum apparet, primum versum alterius ad Corinthios epistulae minio scriptum esse; eodem modo initium prioris epistulae insignitum fuisse, quamvis paullo minus appareat, pro certo habeo. Neutrum in editione expressum est.

In aetatem huius codicis rursus diligenter inquisivi, quum per duas fere hebdomades quotidie manibus eum tenebam. Etsi inveni aliquot loca quibus antiquissimae scripturae elegantia formis productis atque oblongis imminuitur, tamen non possum quin confirmem ab aetate codicum Sinaitici et Vaticani saeculo fere Alexandrinum abesse i. e. circa medium saeculum quintum videri scriptum.

Sed ab epistulis Clementis discedere non possum quin breviter dicam de codice Ferrarensi palimpsesto, quem longo abhinc tempore cum aliis tum mihi iniecta est spes ad Clementinas litteras valiturum. Quum anno 1843 Venetiae in bibliotheca S. Marci codicibus excutiendis operam dabam, unus e bibliothecariis Ferrarensibus obiter mecum communicavit, esse Ferrarae codicem palimpsestum antiquiore scriptura epistulam Clementis priorem continentem; se ipsum cum Angelo Maio examinasse, sed scripturam tantum non cum Londinensi consentire. Magno ex illo tempore desiderio thesauri Ferrarensis tenebar. Quod enim bibliothecarius nuntiaverat, confirmabat quodammodo Fridericus Blume in Itinere Italico, cuius vol. 2. pag. 179 a Maiero antiquiorem illam codicis Ferrarensis scripturam detectam, et vol. 4. pag. 239 Carolo Witte auctore cum aliquot Gregoriorum et Chrysostomi scriptis Clementinum opus ibi contineri dicit. Augebat spem celeberrimus Professor Halensis, qui accuratiora roganti mihi rescripsit, non tam priorem quam alteram Clementis epistulam Ferrarae ante 40 annos se invenisse, nonnihil etiam descripsisse, descripta postquam Thiloni tradidisset quo devenerint latere. Hinc nuper Romam quum proficiscebar nihil antiquius habui quam ut Ferraram me conferrem. Librum exspectatissimum iam manu tenenti oblata est Angeli Maii quaedam de libris Mss. Ferrarensibus dissertatio, qua Clementinae epistulae a se inventae mentionem facit. Denique ipse ille bibliothecarius anni 1843, nunc canonicus, ex aede eius urbis cathedrali arcessitus est, qui cum Maio olim folia rescripta perscrutantem certe inscriptionem epistulae κλημεντοσ του ρωμησ suis se oculis vidisse asserebat. Hunc quem laudabat titulum feliciter mox inveni. At usura falsi gaudii fruebar. Revera illud quidem ibi scriptum est: κλημεντοσ επισκοπου (unde του apud Maium fluxerat) ρωμησ, sed praecedunt: βιοσ του αγιου μαρτυροσ, et sequuntur του μαρτυρησαντοσ etc. Huic vitae Clementis, in quam passim in actis sanctorum manu scriptis incidere me memini, cum epistulis eiusdem viri apostolici nihil commune esse, inter eruditos constat.

Scribebam Lipsiae die dominica Laetare anni 1867.

# COMMENTARIUS.

